

# CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

*Level Two Medieval Latin Examination*

**29 August 2024**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. Each section will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.** You have three hours to complete the exam.  
\*\*\*\*\*

**1. Crowds outside Anthony's cave are caused to tremble by demons in the desert**

Multis igitur, uidentium eum desiderio et studio requirendi, ante ostium eius pernoctantibus, audiebantur ut uulgi uoces aduersus Antonium, tumultusque dicentium: "Quid te nostris ingeris habitaculis? Quid tibi et deserto? Abscede a finibus alienis, non potes nostras insidias sustinere." Et primo quidem, qui foris erant existimabant aliquos homines scalis appositis introisse, ibique contendere. Postquam autem per cauernas introsipientes nullum uiderunt, daemones contra eum intellexerunt contendere. Et nimio metu territi, Antonii auxilium flagitabant. At ille ostio propinquans ad consolandos fratres, ne timerent atque ut inde recederent, precabatur, trepidantibusque asserebat cunctis a daemonibus incuti metum, "Signate uos," inquit, "et abite securi, istosque semetipsos sinite deludere." Itaque illis reuertentibus, hic remanebat illaesus, nec unquam in certamine lassabatur. Accedentium autem augmenta profectuum, uel debilitas repugnantium, maximum eius contentioni leuamen addiderant, et eius animo constantiam suggerebant. Rursusque ad eremum uenientibus turbis, quae iam mortuum eum se existimauerant reperturos, ille psallebat intrinsecus: *Exsurgat Deus*, etc..

## 2. Brothers: beards aren't bad for you—but we should always shave

Ideoque bonum est quod barbas nostras radimus et malum esset si barbas nostras non raderemus, sicut et bonum est quod barbas vestras non raditis et malum esset si barbas vestras raderetis. Inde forsitan movetis questionem quare nos barbas nostras radimus et cur vos barbas vestras non raditis, et quomodo bonum sit utrumque, cum videatur esse contrarium barbas habere et barbibus carere? De fide et moribus accipite quod inde respondemus. Habitus et privatio barbae, hoc est habere barbam et barba carere, transitus est legis ad gratiam. Lex sub velamento erat et quasi barba tegebatur, gratia autem velamen litterae tulit et barbam velantem rasi, sicut ait apostolus: *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen.* Ergo in vobis, qui barbas non raditis, lex monstratur, in nobis, qui barbas radimus, gratia declaratur. Et sicut lex non destruitur per gratiam sed adimpletur, ita quod barbas nostras radimus non evacuat nec destruit quin barbas habeatis.

### 3. In praise of Louis the Pious, from the Latin preface to the Old Saxon *Heliand*

Cum plurimas Reipublicæ utilitates Ludouicus piissimus Augustus summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat, maxime tamen quod ad sacrosanctam religionem æternamque animarum salubritatem attinet, studiosus ac devotus esse comprobatur hoc quotidie solícite tractans, ut populum sibi a Deo subiectum sapienter instruendo ad potiora et excellentiora semper accendat. [...] In talibus ergo studiis suis iugiter benevolus versatur animus, talibus delectamentis pascitur, ut meliora semper augendo multiplicet et deteriora vetando extinguat. Verum sicut in aliis innumerabilibus infirmioribusque rebus eius comprobari potest affectus, ita quoque in hoc magno opusculo sua non mediocriter commendatur benevolentia. Nam cum divinorum librorum solummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent, eius studio atque imperii tempore, sed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum est nuper, ut cunctus populus suæ ditioni subditus, Theudisca loquens lingua, eiusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis vates habebatur, ut vetus ac novum Testatmentum in Germanicam linguam poetice transferre studeret.

**4. Cardinal to colleague: please pick me for Pope (unchanged 155 words)**

Itum est deinde ad rem divinam, qua peracta scrutinium incepere. Calix aureus in ara positus est, et tres cardinales eum observavere [...] inspicientes, ne qua fraus intercederet. Reliqui cardinales suis in locis consederunt et surgentes ex ordine dignitatis ac senii accedentes altare schedulas in calicem mittebant, in quis nomina eorum scripta erant, quos ad pontificatum eligebant. Cumque iret Aeneas et vellet suam papyrum in calicem mittere, expallens tremensque archiepiscopus Rotomagensis “En,” inquit, “Aenea, habeto me commendatum!” – temeraria prorsus vox in loco, in quo non licebat mutare scripturam, sed vicit prudentiam ambitio. Aeneas vero “Mihi te,” inquit, “vermiculo commendas?”, nec plura locutus in suum locum abiit schedula in calicem proiecta. Cumque omnes idem fecissent, mensa in medio aedis posita est et tres cardinales memorati super ea schedularum calicem everterunt schedulasque legentes singulas alta voce nomina eorum annotaverunt, qui erant in illis conscripti. Nec quisquam erat cardinalium, qui non pari modo nominatos annotaret, ne qua posset intervenire machinatio.